



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementvm LXXXI. Ad pag. CLXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

Ad pag. CLXVII.

IN Honorii & Theodosii isthac constitutione etiam *Philosophie præceptoribus* prisca à Cæsaribus indulta privilegia esse confirmata, meretur annotari; quandoquidem jam pridem Philosophis minus faverant Cæsares, seculo etiam tertio Christiano: qua de re nonnulla jam monuimus Supplemento quinquagesimo sexto. Haud fuerit fortassis absque pretio operæ nonnulla heic addere Ulpianea, excerpta ex l. *Præses ff. de Extraordinariis cognitionibus. Præses provinciæ de mercedibus jus dicere solet: sed præceptoribus tantum studiorum liberalium. Liberalia autem studia accipimus, quæ Græci ἐλευθερίασ appellat. Rhetores continebantur, Grammatici, Geometra. Medicorum quoque eadem causa est, nisi quod iustior: cum hic salutis hominum illi studiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet. &c. An & Philosophi Professorum numero sint? Et non putem; non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Proinde ne Juris quidem civilis Professoribus jus dicent. Est quidem res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio nummario non sit aestimanda; nec dehonestanda: dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi honeste accipiantur inhonestè tamen petuntur. Hæc Ulpianus: nisi fallor, & Philosophis & Legum Professoribus haud parum iniqua. Quasi scilicet sanctitas doctrinæ prohibeat, honorarium aut laborum aliquam mercedulam petere. Quanto rectius Apostolus, illi qui servit altari vitæ subsidium ex altari deberi, statuit! Benè verò est, quod nemo non hodie illa Ulpianea saltim contrariis moribus improbet: tantum merito miretis, Tribonianum illa Corpori Legum inseruisse cum tamen ipse pecuniæ fuerit cupidissimus, imò hoc vitio pene infamis.*

SVP.